



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Mar. Episcopo, Castellan.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

MAR. EPISCOPO,  
Castellan.

Epist. 49.  
Quod non liceat alicui Presbytero absque suo consentu celebrare, vel consecrantes recipere ad pœnitentiam.

Epist. 11.  
Quod non liceat alicui Presbytero absque suo consentu celebrare, vel consecrantes recipere ad pœnitentiam.

**F**Ratrum & cœpiscoporum nostrorum postulationibus, quæ rationi consonant, & non deviant ab honesto, tanto gratus & libentius assensum apostolicum impertimur, quanto eos ad postulandum quod petitur, non ob proprium commodum, sed Ecclesiæ sibi commissa utilitatem, induci credimus & moveri. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, auctoritate presentium districtius inhibemus ne cui Presbytero vel alij in quocunque officio constituto fas sit in tua diocesi præter tuum assensum (quem tamen nolumus malitiosè cuiquam denegari) officia celebrare divina, ad pœnitentiam recipere confitentes, vel quæcunque sacramenta ecclesiastica exercere, nisi necessitatis articulus id exposcat. Nulli etiam Metropolitano vel Episcopo liceat in Ecclesiis lege tibi dioecæsanæ subiectis auctoritate propria Clericos instituere, vel institutos etiam te infcio promovere, vel parochianos in tuum præjudicium tradere sepulturæ. Saluis in omnibus supradictis consuetudinibus approbatis, & tam indulgentiis quàm privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc, ut decimas, quas prædecessores tui hætenus in Romanicæ partibus justè ac pacificè perceperunt, exigere ac percipere liberè possis, auctoritate tibi apostolica indulgemus. Nullus ergo &c. inhibitionis & concessionis &c. Datum Laterani VI. Kal. Maij.

FERRARIENSI EPISCOPO.

Epist. 50.  
An hæreticus matrimonium cœtum dirimat.  
Cap. Quanto.  
De divorcijs.

**Q**Vanto te magis novimus in canonico jure peritum, tanto fraternitatem tuam amplius in Domino commendamus, quòd in dubijs quæstionum articulis ad apostolicam sedem recurris, quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est & magistra, ut opinio quam in eis quondam habueras, dum alios canonici juris peritiam edoceres, vel corrigatur per sedem apostolicam, vel probetur. Sanè tua nobis fraternitas suis literis intimavit, quòd altero conjugum ad hæresim transeunte, qui relinquitur ad secunda vota transfere desiderat, & filios procreare. quod utrum possit de jure fieri, per easdem nos literas duxisti consulendos. Nos igitur con-

sultationi tuæ de communi fratrum nostrorum consilio respondentes distinguimus, licèt quidam prædecessorum nostrorum sensisse aliter videantur, an ex duobus infidelibus alter ad fidem catholicam convertatur, vel ex duobus fidelibus alter labatur in hæresim, vel decidat in gentilitatis errorem. Si enim alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo vel saltem non absque blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur ad secundam, si voluerit, vota transibit, & in hoc casu intelligimus quod dicit Apostolus:

*Si infidelis discedit, discedat. frater enim vel soror non est servituti subiectus in hujusmodi.* & canonem etiam in quo dicitur quòd contumelia creatoris solvit

Cap. Si infidelis. 28. q. 2.

jus matrimonij circa eum qui relinquitur. Si verò alter fidelium conjugum vel labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus quòd in hoc casu is qui relinquitur, vivente altero possit ad secundas nuptias convolare; licèt in hoc casu major appareat contumelia creatoris. Nam etsi matrimonium verum quidem inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum quidem & ratum existit. Quia sacramentum fidei, quod semel admissum nunquam amittitur, ratum efficit conjugij sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret. Nec obstat quòd à quibusdam forsitan objicitur, quòd fidelis relictus non debeat suo jure sine culpa privari, cum in multis casibus hoc contingat, ut si alter conjugum incidatur. Per hanc autem responsionem quorundam malitiæ obviatur, qui in odium conjugum, vel quando sibi invicem displicerent, si eas possent in tali casu dimittere, simularent hæresim, ut ab ipsa conjugibus nubentibus reslirent. Per hanc ipsam responsionem illa solvitur quæstio, qua quæritur, utrum ad eum qui vel ab hæresi vel ab infidelitate revertitur, is qui permansit in fide redire cogatur. Datum Laterani Kalend. Maij.

AVRELIANEN. EPISCOPO.

**P**RO dilecto filio D. de Corbolio paupere Subdiacono, nullum ad huc ecclesiasticum beneficium assecuto,

Epist. 51.  
Vt D. de Corbolio primò vacatura præbenda cõferatur.

Z z iij